



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt presbyteri in sua plebe sine chrismate ire non debeat. lxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

nisi preoccupante morte tentauerit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

*Ut presbyter in sua plebe sine chrismate ire non debeat.* Cap. LXXIII.

**N**illum presbyterorū in plebe sibi commissā sine chrismate vnquam debere progredi: quia inter nos placuit semel in baptisinate chrisinari. De eo autem qui in baptisinate quacunque necessitate faciente non chrisinatus fuerit, in confirmatione sacerdotis perficietur.

*Ex cōcil. Vasensi, cap. 5.*

*De presbytero qui se deprehenderit non esse baptizatum.* Cap. LXXIII.

**S**iquis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizauit.

*Ex cōcil. apud Cōpendium, cap. 5.*

*De presbyteris quomodo in cœna domini de chrismate, de oleo sanctificato, de oleo infirmorum facere debeant.* Cap. LXXV.

**V**t presbyter in cœna domini ampullas tres secum deferat, vnā ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos iuxta sententiam apostolicam, vt quando quis infirmatur inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.

*Ex cōcil. Meldensi cap. 1.*

*De eadem re.* Cap. LXXVI.

**P**resbyteri qui diocesanas Ecclesias regunt, non à quibuslibet episcopis, sed à suo, nec per iuniorem clericum, sed per seipso, aut per illum qui eiusdem ordinis sit, ante Paschæ solennitatem chrisma petant.

*Ex cōcil. apud Valentias, cap. 2.*

*De eadem re.* Cap. LXXVII.

**V**t nemo episcoporū, vel quilibet minister Ecclesiasticus, propter sacrum chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuscula, quæ per ministros episcoporum, à presbyteris inordinabiliter exiguntur.

*Ex cōcil. Meldēsi, cap. 5.*

*De eadem re.* Cap. LXXVIII.

**P**er singula territoria presbyteri vel ministri ab episcopis nō prout libitum fuerit à vicinioribus, sed à suis propriis per annos singulos petant chrisma, appropin-

*Ex cōcil. Vasensi, cap. 10.*